



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 18. Regimen.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. manitas. Aquam lavandis manibus Abbas dabat, & cum ipsis mensæ assidebat; A. C. 529. hinc coquinam & mensam habebat diversam, ut omni hora excipi possent, quin turbaretur Congregatio. Nemo Hospitibus loquebatur nisi ille Monachus, cui ipsos excipere præceptum erat, quippe Hospitum Cellæ a cæteris erant separatae.

## §. XVIII.

*Regimen.*

- c. 64. Abbas, qui Monasterium regeret, a tota Congregatione, vel a saniore Parte eligebatur, & Meritorum non vero ætatis aut gradus habebatur ratio. Quod si omnis Congregatio consensisset in eligendo Abbate perverso, Episcopum Diocesananum, Abbates, aut etiam vicinos Christianos oportebat tantum malum avertere, & Monasterio dignum Pastorem præficere. Abbas electus ab Episcopo vel aliis Abbatibus ordinabatur. Oportebat esse doctum in Lege Divina, magna charitate, prudentem, discretum, omnibus suo exemplo viam monstrare, tantum ea exequi, quæ jubet Regula, & curare, ut exacte servaretur. *Meminisse debet Abbas, inquit S. Benedictus, quod in se suscepit regere Animas; caveat igitur sollicite, ne parvipendens salutem animarum sibi commissarum majorem generat*
- c. 65.
- c. 2.



*vat sollicitudinem de rebus temporalibus, sed firmam spem in Dei Providentia ponat. Omnia cum consilio aliorum faciat.* Sæculum VI.  
A. C. 529.

Si quæ minora occurrerint, tantum Seniorum consilia requiret, si fuerint majora, totam vocabit Congregationem; dicet, qua de re agatur, & singulorum sententiam petet, ita tamen, ut ipsius sit quæstionem decidere, & omnes ipsi obediant. 6. 3.

Post Abbatem Monasterium plerumque regebat Prior seu Præpositus, & plures Decani. In quibusdam Monasteriis Præpositus ab Episcopo, vel Abbatibus sicut & ipse Abbas ordinabatur. Inde illis superbiendi nascebatur occasio, dum se secundos Abbates existimarent, & obedire nollent. Quamobrem S. Benedictus hanc consuetudinem rejicit, & vult, ut Monasterium sub Abbate Decani regant, quorum Auctoritas divisa minor esset. Si autem videatur melius, ut constituatur Præpositus, ab Abbate ordinabitur, & erit ipsi subditus. Decani illi dicebantur, quibus cura erat deman- data, ut decem Monachos in labore manuum & aliis exercitationibus regerent, & Abbatem, qui omnibus sufficere non poterat, adjuvarent. Non secundum majorem ætatem, sed vitæ merita deligebantur, & ter admoniti, nisi errorem emendassent, deponi poterant. Hi e-

Ff 5 rant



Sæculum VI. rant Ministri Monasterii Regimini præ-  
A. C. 529. fecti.

- c.* 31. Alii diversis officiis erant admoti, nempe Cellerarius, Rector infirmorum, Curator Hospitum, & Ostiarius. Cellerarii curæ commissa erat annona, & supellex totius Monasterii. Is omnia necessaria omnibus secundum præceptum
- c.* 32. Abbatis distribuebat. Abbas habebat Commentarium omnium rerum mobilium & vestium Monasterii, ne quidquam aliorum incuria perderetur. Vitium proprietatis etiam rei minimæ, unius libri, tabellæ, graphii severissime reprehendebatur.

§. XIX.

*Susceptio Novitiorum.*

- c.* 58. Qui in Monasterium suscipi cupiebant, non nisi postquam rigide probati fuissent, admittebantur. Adveniens per quatuor aut quinque dies portam Monasterii pulsans non audiebatur, & tam difficilis ei reddebatur ingressus, ut etiam injurias pati cogereetur. Si perseverasset, paucis diebus ei in Cella Hospitum esse licebat, tum deducebatur ad Cellam Novitiorum. Seniorum aliquis constituebatur, qui examinaret, an a Deo vocatus esset, eumque doceret, quam arcta via in Cælum duceret. Elapsis duobus mensibus prælegebatur ei Regula,
- rur-